



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XXVIII. Decembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

filii tuus, prodigus quidem, sed tu benedic per magnam misericordiam tuam illi. O Sanctissima Dei, &c. fol. 190.

Ad quod impetrandum: Oraturus hodie rosarium semper ad Ave Maria dicam, Maria Mater Dei, Joannis, & mea, gratiâ plena &c.

Ave humani generis Mater, ave terrigenarum omnium oblectamentum, ave fons gratiæ & totius consolationis. *S. Ephr.*

Quæstio: An Joannes à Jesu, an à Mariâ plus dilectus?

XXVIII. DECEMBRIS.

S. Franciscus Salesius Episcopus, juvenis semper corollam Deiparæ publicè gestavit, quam quotidie, sæpe spatio unius horæ impenso, oravit; effrontem fœminæ blandientis vultum conspuit; hunc de prædestinatione anxium Dei Mater est consolata. Orans coram ea cor suum in ara velut victimam deposuit. *Vita.* Hoc solum dignum est Mariâ munus.

S. Franciscus, in cujus pectore cor Seraphini absconditum, pio ingenio, per suspiria se prodidit, exerce in me charitatem, ora pro me Deiparam, ut sanctam & salutarem de salute mea sollicitudinem mihi injiciat, ut negotium hoc omnium maximum cautè tractem, cui soli periculum subest immedicabile. O Sanctissima Dei, &c. fol. 190.

Ad quod impetrandum: Licet me non salvandum scirem, intensius tamen adhuc Mariam amare proponerem.

Maria Paradysus est voluptatis, quem Deus omnibus gratiæ delictis cumulavit? *S. Petr. Dam.*

Quæstio: Quali die hebdomadæ Christum Deipara peperit? *v. Barr. tr. 1. c. 10.*

XXIX. DECEMBRIS.

S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis, adhuc adolescens à Deipara capsulam dono accepit, in qua casula inclusa fuit: aliàs eum in reficiendo cilicio, quod longo usu attriverat, juvit. Dum quotidie 7. ejus gaudia totidem orationibus colebat, à Deipara didicit ea gaudia quoque colenda esse, quæ nunc in cælo habet, suamque hoc præstituris opem est pollicita. *Vita.* Juxta meriti quantitatem ibi gaudia mensurantur.

S. Thoma tantis à Deipara favoribus prævente, ora pro me, ut carnem meam spiritui subicere, sensualitati mortificatione contraire discam, ut spiritus dominetur nunc corpori, sicque æternùm triumphet in cælis. *O Sanctissima Dei, &c. fol. 190.*

Ad quod impetrandum: 7. Ave Maria, in eorum quæ in terra habuit, & totidem in eorum quæ nunc in cælo Deipara habet, gaudiorum memoriam dicam.

Hæc Regina misericordiæ est. Domina mundi, Regina cælorum, lumen cæcorum. Justorum gloria, peccatorum venia, desperatorum reparatio, salus orbis. *S. Bern. c. in Salv.*

Reg.

Quæ